



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ Antiqvitate

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Cap. XVI. De inuisibili literarum scriptione. De vario humore, quo scriptæ
literæ non nisi certo artificio legi possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

130 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
tam aduolarent, atque ita Decius literas eis demeret; auctore Frontino, lib. I I I. cap. x I I I. Columbam item cum literis Sultanus, dum à Gallis Venetisque obsideretur Ptolemais, eò misit; quibus significabat se tridui interuallo cum copiis adfuturum. Sed Veneti columbam conspicati, militari clamore ita eam deterruerunt, ut ex aëre delaberetur; moxque ei alligatis fictis epistolis, Sultani nomine scriptis, quibus indicabat scilicet se obsessæ vrbi opem ferre non posse, miserunt Ptolemaidem; quæ desperato auxiliorum aduentu, ante triduum se suaque hosti dedit in potestatem. Sabellicus lib. vi. c. vi. Egnatius lib. vii. cap. iv. Columba etiam, dum Godefredus Bullonius Ierosolymam obsideret, à Barbaris in urbem cum epistolis missa, ab accipitre supra ipsa Bullonij castra in terram deturbata est, literæque sub eius alis repertæ. Æmilius lib. iv. De Iani Douzæ columbâ; quam ille ex obsessâ Leidâ dimisit, geminum carmen, Græcum alterum, alterum Latinum, scripsit Daniel Heinsius in Manibus Douzæ.

C A P V T X V I.

De inuisibili literarum scriptione.

PARVM fuit humanæ vafritiæ modum excogitasse quo literæ clanculum mitterentur; nisi etiam tegendæ scriptionis astus inueniretur. Igitur triplici id ratione factum est: Literis planè fallentibus aspectum, vel certis literis positis loco aliarum literarum, vel notis. De prior modo hîc ago, qui inuisibilem facit scrip-

ptionem. Id autem fiebat his artificijs:

Nocte tantum legi possunt literæ scriptæ aquâ distillatitiâ nitedularum, vel aquâ salicis putrefactæ.

Aspectum fugiunt literæ omnes scriptæ aceto, vrinâ, lacte, lacte herbæ tithymalli, adipe, sepo, pinguedine, gummi, donec puluere aspergantur; tum protinus fiunt visibiles.

Scripta item omnia succo mali citrij, cæparum, ceraforum, cyclamini, aliûsve cuiuspiam pomi acris, sale denique ammonico, solo igne admoto legentur.

Gummi, sale, & calce scripta, legi non possunt, nisi papyrus in quâ scriptum est, cremetur.

Alumine aut chalcantio scripta tantum legi possunt postquam charta in aquam demersa est, aut vinum certo modo paratum.

Quædam legi non possunt nisi interposito lumine siderum aut candelæ: quædam affusâ aquâ hydrargyri; de quibus singulis latè Ioannes à Porta libro 1. capite vltimo. quòd verò de lacte tithymalli interposui, habeo ex Plinio libro xxvi. cap. viii.

CAPVT XVII.

De scriptione per transpositionem literarum occultandâ.

MIRE sibi gratulabantur veteres, insigni scilicet, vt ipsi putabant, inuento epistolarum occultè scribendarum per transpositas li-
 l 2 teras;